deuotiſſimis memoꝛialibus. ſcilicet notarijs ⁊ agē
tibus in rebus: nec non magiſtris ſtudioꝝ libe-
ralium artium. archiatriſq̄ꝫ. id eſt medicis ⁊ omni
bus omnino qui ſalaria vel ſtipendia recipiunt pu
blica. C. de inoffic. teſta. l. cum antiquis. Ex pꝛedi-
ctis patet ꝙ notarij communes non acquirunt in
quaſi caſtrenſe. ſed ſolum notarij cōmunis vel do-
minoꝝ aut officialium qui deberent habere ſa-
larium de publico.
¶ Sed quid de acquiſitis ꝑ clericos. filiofamilias. 5
R. quod res omnes quolibet modo ad eoꝝ do-
minium venientes habebunt ſuas ad ſimilitudi-
nem caſtrenſis peculij. ita ꝙ de ipſis ad libitum di
ſponere poterunt ⁊ teſtari legitima legata filijs vel
parentib⁹: vt in aut. de ſan. epiſ. §. p̄ſbyteros. ⁊ po
nit̄. C. de epiſ. ⁊ cle. aut. p̄ſbyteros. quod limita ve
rum niſi acquirant̄ ex bonis eccleſie vel eius intui
tu: quia tunc nō poterunt diſponere. de quo dicvt
s̄. Clericus. xiij.
¶ Vtrum acquiſitū ꝑ muratoꝛes. aut carpentari 6
os. ⁊ alios laboꝛatoꝛes in rebus cōib⁹ qui etiam
habent ſalariū ex publico ſit quaſi caſtrenſe: R. ꝙ
nō. q: nō ſolum requirit̄ ꝙ id qđ acquirūt ſit ex pu
blico. ſed opoꝛtet ꝙ ſit ex publica cā. vtpꝫta publi-
co officio aduocationis notarij cōis vel officialiuꝫ
et hmōi. aliter nō erit quaſi caſtrenſe. Sali. tamen
in. l. fi. C. de inoffic. teſta. tenet ꝙ ingenierij domi-
noꝝ vel cōis id qđ acquirunt habebunt ꝓ qua
ſi caſtrenſe.

7 ¶ Sed nunquid aduocati qui ex aduocatõne aliquid acquirũt nõ ex publico. ſed a clientulis habebunt ꝑ caſtrenſi? R. ſm Bal. in. d. l. fi. ꝙ ſic. q2 cedit loco publici ſalarij. Ex quo eis hodie nõ ſoluit̃ ex publico. l. fori tui. C. de aduo. diuer. indic. et ibi dicit Bar. ꝙ ſilr̃ erit quaſi caſtrẽſe id qđ acquirũt aſſeſſores ſm glo. ibidẽ. Idem dic ſm Bar. in. l. ſi mulier. ff. de caſtren. pecu. de relictis aduocato pro emendis libꝛis vel equo cauſa eũdi ad officia. ⁊ huiuſmodi.

8 ¶ Utrum donatum filiofamilias militi aduocato. aut aliud officiũ publicũ habenti ſine alia expſſione ſit caſtrenſe vel quaſi? R. ſm Bar. in tractatu de duobꝫ fratribꝫ ꝙ aut donant̃ res neceſſarie militie ſiue apte: vt equus ⁊ arma militi. libꝛi aduocato. tunc in dubio dicet̃ eſſe caſtrenſe vel quaſi a q̃cunq3 donent̃ eiſdem. l. miles p̃cipua. ⁊. l. caſtrenſe ff. de caſtren. pec. Si autẽ donant̃ ea que non ſunt apta ad militiã nõ erit caſtrenſe. etiam ſi expſſe dixerit: vt. l. ſi forte. ff. de caſtren. pecu. ⁊ qđ ibi tenet Dynus. ⁊. C. eo. ti. l. j. Et hoc verum niſi in duobꝫ caſibus. Primus qñ ille qui donat ſoluꝫ ex militia vel aduocatione ⁊ hmõi notus eſt. Scđs caſus eſt qñ talia donata licet nõ ſint apta ad miliciam vel aduocationem. tñ dant̃ expẽſe vt vendant̃ ꝑ emẽdis armis. libꝛis ⁊ hmõi neceſſarijs ad dicta publica officia. Alia vͦo que poſſunt eſſe apta ad miliciã et ad alia. vt ſeruus. tunc ſi ſpãliter ⁊ noĩatim ad ipſa ſint data. ſic erunt quaſi caſtrenſe. Secus ſi ſimpliciter ſine expſſione. q2 nõ erunt caſtrenſia. niſi vt dictum eſt. ſint data a noto ſolũ ex militia. l. ſi militi. ff. de ca. pecu. ⁊ qđ no. Bart. in. d. l. ſi forte.

9 ¶ Quid de donato filiofamilias qui nõ eſt miles. nec in aliquo publico officio cum iſta expſſione qđ ſit ei caſtrenſe vel quaſi? R. ſm Bart. in predicto tractatu. ꝙ licet appoſitio talium verboꝛum nõ valeat: niſi vt ſit aduenticium: vt. d. l. ſi forte. operabitur tñ vt patri nõ acquirat̃ vſuſfructus qđ poteſt facere donans: vt. C. de bo. q3 li. aũt. excipit̃. ⁊ ſic licet viciet̃ expſſum nõ viciat̃ tñ tacitum. l. j. ff. qui. mo. pi. vel hypo. ſol.

10 ¶ Utrum libꝛi empti a patre filio ſuo ſint quaſi caſtrenſe? R. ſm Bart. in. d. tractatu. ⁊ in. l. j. §. nec caſtrenſe. ff. de col. bono. ꝙ aut pater tradidit et ſe donare expſſit. ⁊ tũc ſi filius erat aduocatus acquirit ſibi in quaſi caſtrenſe. l. j. C. de ca. pe. ⁊. l. caſtrenſe. ff. eo. nec pater poterit ſic datum reuocare. l. ſi filius. C. fami. hercíſ. Si vͦo non erat doctoꝛ tẽpe donationis. ſed ſcholaris tunc nõ poteſt dici quaſi caſtrenſe. q2 conditio pſone hoc nõ patit̃. Nam ſcholares non gaudent puilegijs quo magiſtri et doctoꝛes. l. j. in fi. C. de ſtu. libera. Et facit qđ no. in. l. fi. C. de iuriſdi. om. iudi. quod verum intellige. niſi ante moꝛtem patris compleuiſſet ſtudium ſuuꝫ. quia ſic cepit quaſi militare. ⁊ tunc erunt quaſi caſtrenſe. l. ſiue emancipatis filijs. C. de donatio. ⁊. l. donationes. in concubinas. §. pater. ff. eo. Nota tamen ꝙ licet non fuerit doctoꝛ. nec effectus ante moꝛtem pr̃is. ſi pater ei nõ emãcipato libꝛos dedit ſed eos non eſt adeptus niſi poſt emancipationeꝫ ꝙ erunt ſui. quia confirmatuꝛ donatio. dicta. l. ſiue et dicto. §. pater. Idem dic de quocunq3 donato a patre filio emancipato. vel etiam non emancipato ſi modo emancipatus volũtate patris poſſedit ꝙ erit filij. nec pater poſtea poterit reuocare dicta. l. ſiue. Secus ſi poſt emancipationem tenuiſſet donata ante eam contra voluntatem patris. Similiter idem dic ꝙ confirmatur dicta donatio moꝛte etiã ſi non erit ipſe emancipatus. ⁊ ſic poſt moꝛtem patris talia erunt ſua. nec communicabit cum fratribus alijs. l. filie. C. famil̃. hercíſ. ſm opinionem approbatam in gloſa dicta. l. ſiue. Aut pater non tradidit nec expꝛeſſit ſe donare. ⁊ ſic licet emerit nomĩe filij ſui. nihilominus erunt patris ⁊ communicabit eos cum alijs fratribus poſt moꝛtem patris. l. j. in pͥncipio. C. de ca. pecu. requiritur enim traditio vt videat̃ donare. l. ij. C. ſi quis alteri vel ſibi ꝙ ſi neſcitur. an donauerit vel ne. tunc ſm Bald. in additionibus ad pꝛefatum tractatum Barto. ad coniecturas eſt recurrendum. ſm ea que infra dicam in. §. xxij. Aduerte hic ſm Bartolum in autentica. ex teſtamento. C. de coll̃. ꝙ donatum a patre filio emancipato eſt conferendum poſt moꝛtem ⁊ computabitur in eius parte. Sed donatum filio exiſtenti in ſua poteſtate. licet non valeat in vita ipſius patris tamen aſſumit ſibi vim poſt moꝛtem. ⁊ habet vim legati: vt in. l. in donationibus. C. ad. l. falci. ⁊. l. donationes. la pͥma. C. de dona. inter vi. ⁊ vxo. Et ſicut legata ⁊ fideicommiſſa nõ conferuntur. l. a patre. C. de coll̃. ſic nec talis donatio. Fallit hoc in tribus caſibus. Primus quando emergitur inequalitas. l. penulti. C. de coll̃. Secũdus quando pater hoc expꝛeſſit. Tercius quãdo dedit vt haberet in peculio. l. ſi donatione. C. de coll̃.

¶ Utrum omne acquiſitum ex pecunia patris a filiofamilias ſit pꝛofecticium? Rñ. ſm Bartolum 11
in predicto tractatu. et in. l. cum opoꝛtet. C. de bonis q3 libe. ꝙ id quod acquirit filiusfamilias ex bonis patris ſiue ſit pecunia. ſiue ſint poſſeſſiones ſibi ab eodem date ſine laboꝛe ⁊ induſtria ſua: puta dando poſſeſſionem alteri colono: vel pecuniam mercatoꝛi. ex qua habuit de lucro tale lucrum erit pꝛofecticium. Sed id quod acquirit ex predictis bonis ex laboꝛe ſuo: vel induſtria: puta laboꝛando agrum predictum: vel negociando de pecunia predicta ſicut lucrum quod fit ex pecunia pꝛo parte attribuitur perſone lucranti. et pꝛo parte pecunie. l. pͥma. C. pꝛo ſocio. et. l. ſi non fuerint. §. pͥmo. ff. eo. ſi tale lucrum erit pꝛo parte que debetur poſſeſſioni vel pecunie erit pꝛofecticium ⁊ pꝛo parte que debetur operi perſone lucrantis erit aduenticium dicta. l. cum opoꝛtet. poſt pͥncipium. vbi patet ꝙ omne lucrum pꝛoueniens ex perſona filij eſt aduẽticium. Nec obſtat. l. ſi ita. §. fi. ff. de vſu. ⁊ habita. et. l. per ſeruum. §. fin. ff. de acquiren. re. dominio quas allegat Speculatoꝛ qui tenet contrarium. q2 loquuntur in ſeruo qui acquirit domino ex opere perſone ſue. Et hoc tene: niſi ex pecunia patris feciſſet vſuram. quia licet gloſa in dicta. l. cum opoꝛtet: teneat contrarium. tamen tu tene cum Bart. ibidẽ ꝙ tale lucrum nõ erit nec pfecticiũ nec aduẽ

ticium.ſed totum reſtituendum.ꝑ ipſum filium.⁊ glo.intellexit qn̄ vſure licite erant de iure ciuili qꝺ hodie nō eſt.c.ſup eo.de vſuris.

12 ¶ Utrum filiuſfamilias qui lucrat̄ vigore ſtatuti ex morte vxoris ſue dotem vel partem debeat eam habere ꝓ aduēticio. R. Bart.in dicto tractatu.ꝙ aut filius ſuſtinet onera matrimonij de lucro ſue ꝑſone.⁊ tunc filio erit aduenticium.Si vō non ipſe ſed pater ſic erit ꝓfecticium.⁊ ſic intellige opi.Dy. in.l.ſi cum dotem.§.nunc tranſgrediamur.ff.ſol. matri.qui tenet ꝙ nō eſt aduenticium ſed cōicabit poſt mortem patris cum alijs fratribꝫ.ꝑ.l.ij.C.famil'.her.Si vō partim pater ⁊ partī filius ſuſtinet tunc ꝓ rata oneris partim erit ꝓfecticiū ⁊ partim aduenticiū.l.ſed ⁊ ſi quis.§.j.ff.de vſufru.⁊.l.ſi ſeruus cōis.§.fi.ff.de ſtip.ſeruo.

13 ¶ Utrum donatum vel relictum ab extraneo filiofamilias ſit aduenticiū. R.ſm Bar.in p̄dicto tractatu:ꝙ aut datum eſt cōtemplatione patris.⁊ ſic erit ꝓfecticiū.Si vō datum eſt contemplatōe filij ſic erit aduenticiū in.l.ſed ſi plures.§.arrogato.ff. de vul.⁊ pu.ſubſti.⁊.l.additio.ff.de acquir.here.⁊ l.ſed ⁊ ſi quid donet̄.ff.de vſufruc.⁊ no.glo.in.d.l. cum oportet.Si aūt nō apparet cuius cōtemplatione ſit datum dep̄hendit̄ ex futuro euentu:puta. qn̄ relinquit̄ filio.vt poſt mortez patris habeat.ſic p̄ſumit̄ ꝙ cōtemplatione filij. Si vō vt tn̄ viuēte patre.ſic p̄ſumit̄ cōtemplatōe patris datum. Siľr ex ope comp̄hendit̄:puta filius faciendo mercantiam acquiſiuit amicitiā cuz aliquo ex qua aliquid ſibi donauit.q: tunc erit ſibi aduēticiū.l.ſociū qui. §.fi.ff.ꝓ ſocio.⁊ ibi eſt caſus exp̄ſſus.q: contēplatione filij. Ideo no.ꝙ oēs leges q̄ dicūt inſpiciendū cuius contemplatōe debent intelligi de cā ꝓxima. d.l.ſocium.qm̄ in damnū acquirentis nō conſideratur cā remota.l.fi.ff.cōiungen.cum emancipat. libe.ſed bn̄ q̄ꝫtum ad comodum.l.ſi forte.ff.de ca. pecu.

14 ¶ Utrum omne acquiſitū ꝑ filiumfamilias ſit p̄ſumendū ex bonis patris in dubio ⁊ ſic ꝓfecticiū. R. Bart.vbi ſ̄.ꝙ aut reſultat ſuſpitio delicti.niſi ſic p̄ſumat̄:puta q: filia p̄ſumet̄ turpiter acquiſiuiſſe q: aliter non potuit habere.⁊ ſic credet̄ ex bonis patris acquiſitum:vt ſuſpitio delicti euitet̄.l.ſi defunctus.C.arbi.tute.⁊.l.quintus.ff.de donat.inter vi.⁊ vxo.⁊.l.etiam ſi vxoris noīe.C.eo.aut ſuſpitio delicti euitat̄.⁊ ſic p̄ſumet̄ ex bonis filij.d.legibus.Aut nec euitat̄ nec orit̄ p̄ſumptio delicti ⁊ ſic recurrendū eſt ad cōiecturas.C.de epi.⁊ cle.aūt.licentia.Et hec oīa ſunt ſeruanda etiam in p̄lato.tutore:vxore.⁊ hmōi.qui circa bona aliorum verſant̄ in conſciā.licet glo.in.d.l.etiam.⁊ in.d.l.cum oportet.aliter dicat.

15 ¶ Utrum donatū filio a patre ſit aduenticiū. R. Bar.vbi ſ̄.ꝙ aut p̄ceſſerunt merita filij q̄ ſi extraneus feciſſet ei donaſſet.ſic donatio tenet a principio ⁊ erit ei aduenticiū:vt tenet glo.C.de inoffi.teſta.aūt.vn̄ ſi parens.Et concor.Iaco.but.Aut nō donat ꝓpter merita ſed vt filio.⁊ ſic eſt ſimplex donatio que non valet.niſi morte confirmet̄.vt ſ̄.patuit.§.x.

¶ Sed ad quid valet dictum peculium aduenticium filio cuz vt dictū eſt vſuſfructus ſit patris.nec de eo p̄t diſponere niſi vt.ī.Religioſus.§.lvj. R. ꝙ valet vt poſt mortē patris nō teneat̄ illud cōicare cum alijs fratribꝫ.ſed erit ſpāliter ſuū.l.fi.C.de colla.Peculium vō ꝓfecticiuz ad nihil valet filio. niſi ad hoc ne publicet̄ in caſu quo alia bona p̄ris publicant̄:vt in.l.ſi finita.§.de vectigalibus.ff.de dam.infec.Et qꝺ ibi no.Bar.poſt mortem tn̄ patris erit cōe cum alijs fratribꝫ. 16

¶ Utrum de peculio caſtrenſi vel quaſi filiuſfamilias poſſit teſtari.⁊ ad libitum diſponere. R.ꝙ ſic ſm oēs doct.q: illud acquirit ſibi ⁊ quo ad dn̄ium et vſumfructum nec illud cōicabit cum fratribus poſt mortem patris.d.l.cum antiquis.C.de inoff. teſt.⁊ multis alijs. 17

¶ Utrum pecunia data filiofamilias a p̄te ꝓ ſtudio ſit ei imputanda poſt mortez patris in p̄te ſua ab alijs fratribꝫ t̄pe diuiſionis. R. Bart.in.d.tractatu ꝙ ſi apud patrē nihil erat qꝺ eſſet filij nō imputabit̄ ei in p̄tem.l.qui pater.ff.fami.her. Si vō apud patrē erat pecunia filij ex caſtrenſi vel q̄ſi peculio.tunc in dubio p̄ſumet̄ ꝙ pater adminiſtratorio noīe egerit id de pecunia ipſius filij.⁊ ſic imputabit̄ ei in partē.facit qꝺ no.in.l.fi.C.de dotis promiſſi. Sed iudicio meo mihi videt̄ ꝙ pater dādo filio ꝓ ſtudio vel filie ꝓ dote ꝙ p̄ſumatur dare de ſuo.q: pietas paterna ad hoc inducit.Secus in extraneo.niſi patris ſubſtantia eſſet tenuis ⁊ filij habundans.q: ſic tenerē cum Bar.al's non. 18

¶ Quid ſi pater dedit pecuniam filio pro emēdis libris ⁊ ipſe luſit.vel in meretricibus expendit. R. ſm Bartolum in autētica.quod locum.C.de colla.ꝙ poſt mortem patris computabitur ei in ſuam partem.argu.d.autentice.ſicut mulieri que paſſa eſt conſumi dotem computabitur ei in partem ſuam. vt in dicta autentica.quod locum. Idem dic de donato pro emancipatione a patre filio ꝙ erit computandum ei tempore diuiſionis ſm Barto. in.l.prima.§.nec caſtrenſe.et in.l.vt liberis.C.de colla. 19

¶ Utrum filius qui incepit ſtudere viuente patre de eius mandato poſſit poſt mortem patris de cōibus bonis perficere ſtudium. R. Bart.in.d.tractatu ꝙ nō.nam factum patris erga filium inciatum eatenus obligat heredez quatenus pater erat obligatus.l.⁊ ſi filium.ff.de mu.⁊ bo.iuncta.l.honores.§.is qui.ff.de decu.⁊.l.ſi filia.§.idem ſcribit ff.famil'.hercis.ꝓpter qꝺ concludit Bald.in addi. ad dictum tractatum.ꝙ ſi vult ꝑficere ſtudium faciat de ſuo:vel ſi vult doctorari ſiľr faciet de ſuo.q: eſt nouus actus.l.ſeruus legatus.§.ſed ſi cum mihi ex teſtamento.ff.de legat.j.nec fratres ei tenent̄ ſi nolunt. 20

¶ Utrum tempore diuiſionis fratrum veniāt expenſe facte a patre vxoris filijſfamilias ⁊ alia ornamenta. R. Baldus vbi ſupra ⁊ Bartolus in.l.in his.ff.ſolu.matri.ꝙ de conſumptis filius non tenetur nec alius frater poſſet dicere.ego ducam meam ⁊ tantundē expendā de cōi.niſi pater aliter cauerit in teſtamēto.l.iij.§.fi.ff.de mu.⁊ bono.et ibi 21

ꝑ glo. ⁊ l. ex parte. §. fi. ff. fami. herciſcun. De extan
tibus autē vt ſunt veſtes. ⁊ alia ornamenta ſi ſunt
neceſſaria ad quotidianum vſum non conferunt
ſed ſunt vxoris. ⁊ a principio tenuit donatio inter
ſocrum ⁊ nurum. l. ex annuo. ff. de dona. inter vi.
et vxo. ⁊ l. ſi dos. cum ſua glo. ff. ad. l. fal. Si ṽo nō
ſunt neceſſaria ad quotidianum vſum. ſed ſunt p̄
cioſa; tunc illa qualia ſunt debent cōferri. l. illud ve
ſtimētum. ff. de pecu. nec poteſt dici ꝙ morte ſit cō
firmata donatio quia non p̄ſumuntur donata. li
cet dicatur maritus veſter donat vobis iſtam co
ronam vel brocatū. ſed ad vſum conceſſa. l. mortis
in fi. ff. de dona. inter vi. ⁊ vxo. Similiter dic in fa
ctis ꝓ filia. l. cum hic ſtatus. §. oratio. ff. eo. ⁊ ꝓ pre
dictis facit. l. fi. ff. ſolu. ma. ⁊ quod dicit Bart. in. l.
ſi vt certo. ff. commo. Ange. tamen in. l. ſi ex re do
mini. ff. de ſtipul. ſer. per glo. ibi poſitam. determi
nat ꝙ veſtes lugubres date mulieribꝰ efficiunt ip
ſarum. de dote ṽo data filie filij ab auo ipſius quō
nō ſit communicāda. vide ſ. Dos. §. xxj.

22 ¶ Vtrum expenſe facte a patre in peculio filij ad
uenticio ſint cōmunicande inter fratres poſt mor
tem patris? R. ſm Bar. in. d. tractatu. ꝙ aut fue
runt neceſſarie: vel ad perpetuam vtilitatem. ⁊ tūc
filio imputabunt. l. fi. §. fi. C. de bo. q̄ libe. ⁊ l. iube
mus. C. ad trebe. niſi pater feciſſet animo nō repe
tendi. arg. l. ſi in area. ff. de condi. inde. ꝙ ſi de ani
mo neſcitur. tunc ſi ſunt parui ſumptus p̄ſumen
tur donati. l. ſi ſeruum. ff. de donat. inter vi. ⁊ vxo.
Si ſunt magni ſumptus. ita ꝙ excedant fructuū
quantitatem. tunc videtur habuiſſe animum repe
tendi. niſi in cauſa alimentorum vel ſimul expēdiſ
ſet. l. nenſennius. §. preterea. ff. de neg. geſt. Secus
ſi non excederent fructuū quantitatē. quia tunc
videtur donaſſe. argu. dicta. l. fi. §. ſi autem res. C.
de bo. q̄ liber. In impenſis tamen que facit vir in
rebus vxoris gratia fructuum querendorum con
ſeruandorum ⁊ colligendorum ſine vlla diſtinctio
ne ſibi facit. l. fi. ff. de impenſis. Et non repetet ab
vxore vel eius heredibus. In alijs autē ſi ſunt mo
dice non repetuntur. l. omnino. ff. de impēſis. Si
ſunt magne repetet. d. l. omnino. vbi alique etiam
ponuntur exceptiones quas omitto. quia parum
ad nos. Sed in conſcientia ſequere quod dixi. Si
ṽo dicti ſumptus non fuerunt neceſſarij nec ad ꝑ
petuam vtilitatem. ſed ſolū ad fructuum vtilitatē
tunc non ſunt cōmunicandi. quia onera pertinēt
ad eundem patrem ⁊ expenſe. Et etiam idem dicē
dum de eo quod expendit in datijs ⁊ collectis. cū
habeat vſumfructum. l. ſi pendentes. §. ſed ⁊ ſi q̄d
ff. de vſufruc. ⁊ l. neq̄ ſtipendium. ff. de impenſis.
Nec ob. l. vnica. §. ſed nec ob impenſas. C. de re.
vxo. actio. q̄ vir habet dotē ꝓpter onera matrimo
nij. ideo nō debet grauari onere impenſarū. Nec
hoc erit in alio vſufructuario. q̄ ſimpliciter habet
ex alia cā. vt ex contractu vel quaſi. his concordat
Bal. vbi ſ.

23 ¶ Vtrum patre obligante ſe pro delicto filij ſit to
tum computandum in parte dicti filij poſt mortē
patris. an de tota hereditate cum alijs fratribus?
R. Bald. vbi ſ. ꝙ ſi dictus pater hoc fecit natura
li pietate ſic omnes fratres debent pro parte ſua ſu
ſtinere. l. liber captus. C. de captiuis. Sed ſi fecit
ex neceſſitate; puta dictante hoc ſtatuto; vt notat
glo. ſuper Rubrica. C. de decre. decu. tunc naſcit
naturalis obligatio inter patrem ⁊ filium ex tali ge
ſtione negociorum eius que tranſit ad heredes. et
ideo ſoluet de parte ſua ⁊ non de communi. l. igit.
ff. de libe. cā. ⁊ quod notant doc. de eo qui cogitur
ſoluere condemnatōnem alterius. in. l. ij. §. fi. ff. de
ver. obli.

¶ Vtrum patre dante damnum in bonis aduen 24
ticijs filij teneantur fratres emendare de cōmuni.
R. ſm Bald. vbi ſupra. ꝙ aut dilapidatio eſt ſolū
fructuum. ⁊ ſic non tenentur. d. l. cum oportet. Nō
limita verum quando pater habet vſumfructum
in dictis bonis. ſecus quando ille qui legauerat ꝓ
hibuit vſumfructum queri patri quod poteſt fieri
vt tenet glo. in auten. vt liceat matri ⁊ auie. ⁊ autē.
excipitur. C. de bonis q̄ liberis. quia tunc teneren
tur. Si vero dilapidatio concernit rei perpetuam
deteriorationem vel intolerabilem leſionem. ſic eti
am tenent dicta. l. cum oportet. §. ſed cum tacitas

¶ Vtrum debitum contractum poſt mortem pa 25
tris ab vno fratrum ſit ſoluendum de communi?
R. Specu. ti. de iudicijs. ꝙ non niſi cōtractum ſit
ratione cōmunis vtilitatis vel ſocietatis. Simili
ter nec dos debet ſolui de communi niſi ſit verſa in
cōmunem vtilitatem. Idem dic de condemnatio
ne ſoluta ꝑ vnum quod non ſoluetur de cōmuni.
niſi maleficium feciſſet ꝓ cōmuni vtilitate ſcienti
bus ſocijs ⁊ acceptantibus in cōmuni eius vtilita
tem. quia ſic eſſet cōmunis. quia ex quo ſponte ſu
ſceperunt lucrum habebunt ⁊ damnum condem
nationis. Si ṽo ignoranter acceptauerunt lucrū
factum iniuſte. tūc ſocius auferet illud ⁊ ſatiſfaciet
⁊ l. ſi igitur. ff. pro ſocio. ⁊ ſic etiam ipſe ſolus ſoluet
condemnationem etiam ſi eſſent ſocij omnium bo
norum ſm Spec. vbi ſupra. Et licet de iure ex quo
cōmunicauit lucrum illicitum non poſſet illud au
ferre niſi poſt condemnationem. l. quod enim. ff.
ꝓ ſocio. Nihilominus q̄n ſacerdos iniunxit ei vt
ſatiſfaciat illis quos leſit. Intelligit non ſolum lis
cōteſtata ſed etiā ſnia lata. ⁊ ſic p̄ceptum ſacerdotꝭ
eſt ſnia ſm Ho. in. c. fi. de ſepul. Silr militans mi
litet de ſuo. vel maritās filiā. vel tenens filiū in ſtu
dio faciāt de ſuo. niſi aliter ſit cōuentū inter eos. l.
ſi ſocius ꝓ filia. ff. ꝓ ſocio. ⁊ recitat Bald. in. d. l. ſi
patruus. C. cōia vtri. iu.

¶ Vtrum lucrū qd facit vnus fratrū cū pecunia 26
hereditaria mercādo ſit cōicandū cū alijs fratribꝰ
R. ſm Bald. vbi ſ. in. d. l. ſi patruus. ꝙ aut fecit
nomīe cōi ⁊ ſic cōicabit aut fecit nomine ꝓprio ⁊ ſic
non cōicabit. l. titium ⁊ meuium. §. alterum. ff. de
admi. tu. qd verum eſt niſi ſit tutor vel curator alio
rum fratrum. q̄ ſic lucrū quod fecit ex prima mer
cantia empta de pecunia cōi debet eſſe cōe. lꝫ noīe
ſuo fecerit. Aliud autē lucrum qd fecit de pecunia
emptionū iterata ⁊ noīe ſuo erit ſuū ⁊ nō cōicabit.
Idem dic de illo qui negociat de pecunia minoris
aut eccleſie; vt in. l. ſi vt ꝓ ponis. C. de re. ven. Si ṽo
neſcitur cuius nomine fecerit. tunc ſi continuauit

negocium ſolitum cum alio fratre mortuo ſupſtiti
bus filijs fratris indiuiſam ſubſtantiã poſſidenti
bus ſic videt̃ cõi noĩe feciſſe.ar.l.nam et ſeruus.ff.
de neg.geſt.§.ſi viuo.Si vo fecit negociationẽ in
ſolitã ſic pſumet̃ ꝙ noĩe ꝓprio.niſi ex libro rõnum
aliud appareret.concor.Bar.in.d.l.ſi patruus.
27 ¶Quõ in dubio cognoſcet̃ cõtractam ſocietatem
tacite inter fratres vel quoſcunq; alios qui ſil' ſtãt
ita ꝙ oĩa lucra ſint cõicanda? R.ſm Bal.in.d.l.ſi
patruus.ꝙ q̃uis nullus ipſorum negociet̃.põt tñ
ex actibus apparere ſocialis effectus.ſicut eſt inter
nobiles qui nõ faciunt queſtuarias mercãtias: tñ
quecunq; ſalaria:quaſcũq; dotes acquirunt in cõi
cõferunt. vnde nemo põt negare eos eſſe ſociales
actus ex quib; pſumit̃ intentio et voluntas.vt di
cunt Ja.de are.Rizar.⁊ Oldr.eius diſcipuli ad q̃
litatem ergo actuũ eſt recurrendũ.Nam in talib;
pſumit̃ mens qualis ex actibus colligi poteſt.ar.l.
duo fratres.ff.de acqui.here.⁊.l.repͤhendenda. tu
magis eos.C.de inſti.⁊ ſubſtitu.Silr̃ dico ſm eun
dem Bal.vbi s.ꝙ pſumit̃ contracta ſi vnus nego
ciat̃ ⁊ alter quecunq; ſibi eueniũt: puta ex redditu
pbende vel ex dotibus ⁊ hmõi:ponit in cõi: ⁊ ita fa
ciunt hincinde.Item pſumit̃ ſocietas etiã ex acti
bus in vna mercantia vel arte et alter in alia vt in
aduocatis ⁊ tabellionib;.Nam lucrorum cõicatio
ſocietatis eſt cõtractio ſeu inchoatio.Silr̃ dicit idẽ
Bal.vbi s.ꝙ ſi vnus habet curã domus et alius
eſſet aduocatus:vel aliter lucraret̃ ⁊ poneret in do
mum.videt̃ cõtracta ſocietas.Idem dicit.ſi vnus
eſt maior ⁊ alter minor et pupillus habet tutorem
qui cõicat ⁊ ei cõicat̃.Idẽ dicit ꝙ ſi actus ſunt vni
formes ſocietas reſtringit̃ tñ ad queſtus qui veni
unt ex ipſis:ſed in actibus difformib; ⁊ in ſe varieta
tem habentib; pſumit̃ ſocietas generaliter contra
cta:nec cõſidero an vnus plus lucret̃ ⁊ alter min⁹
in hac generali ſocietate:ſed equaliter oĩa ſunt par
cienda.l.ſi ſocius ꝓ filia.ff.ꝓ ſocio.vñ ꝓ clariori in
telligẽtia nota.ꝙ ſocietas tacita vel expſſa aliqñ eſt
oĩm bonorum ⁊ tunc eſt qñ expſſe agit̃ ꝙ ſint ſocij
oĩm bonorum:vt eſt tex.in.l.iij.§.j.ff.ꝓ ſocio.⁊ in
l.cohiri.codez.⁊ iſti tales cõicant oĩa que acquirũt
ex quacunq; cã laborando vel negociando ſiue ex
donatis.ſiue ex legatis.ſiue ex hereditate et hmõi.
Item ſtipendia que dant̃ militibus.l.qui ſtipẽdia
C.de ꝓcura.⁊ ſalaria quecunq; habent̃ ex caſtren
ſi vel quaſi.l.cum duobus.§.idẽ papinianus.al's
eſt lex.ff.ꝓ ſocio.Et in iſto caſu frater tenet̃ marita
re filias alterius fratris niſi aliud expſſe actum ſit.
l.ſi ſocius ꝓ filia.ff.ꝓ ſocio. non tñ tenet̃ cõicare q̃
acquiſiuit illicite neq; tenet̃ ad condemnationem
quaz ꝓ ſua culpa alter ꝓmeruit.Aliqñ contrahit̃
ſocietas generaliter oĩs queſtus vel queſtus et lu
cri.qđ tñ eſt dicere ſicut oĩs queſtus.l.ſed ⁊ ſi addi
ciat̃.ff.eo.de qua loquit̃.d.l.cohiri.cum quinq; le.
ſe.⁊ iſti cõicant oĩa que ꝓueniunt ex opa.i.ſolertia
alterius:ſed nõ donationẽ ſimplicem ſiue cã mor
tis:vel legata.l.hereditatez.nec debita alterius. ni
ſi que fiunt cã queſtus vel ſocietatis.Aliqñ ſunt ſo
cij certe rei.ſ.cõuiuendi.q: viuunt ad vnum panẽ
et vinum vel certe negociatiõis vel lucrorum que
conſequunt̃.licet in diuerſis negociatiõib; vel ope
ribus ex quib; lucrant̃.q̃uis aliqñ alter ponat ope
ram alter pecuniam.aliqñ vtrunq; de quib;.j̃.So
cietas.j.Et ex p̃dictis potes intelligere optime iſtã
materiam.
¶Pone ꝙ duo fratres ruſtici colentes terras vn⁹ 28
habet filios ſcindentes terrã alter nõ.quõ diuidet̃
fructus ꝓuenientes ex cultura? R.ſm Bal.in.d.
l.ſi patruus.ꝙ diuident̃ in capita.q: ſocietas reſpi
cit capita eorũ qui opas ponunt in ſocietate.Iſtud
limita verum quo ad lucrum qđ debet̃ pſone.ſ; q̃
ad lucrum qđ debet̃ bobus vel terre que ſunt cõia
nõ diuidet̃ ꝑ capita ſed in ſtirpes.ſm eundẽ Bal.
in quodã cõſilio.⁊ Bar.in.d.l.ſi patruus.
¶Quid ſi ſint duo fratres quorũ vnus poſuit ope 29
ram alter pecuniã in ſocietatẽ ⁊ caſu oĩa combuſta
ſunt? R.ſm Bal.vbi s.ꝙ ille qui poſuit operã te
net̃ alteri ad medietatẽ capitalis.ꝑ.l.ſi cum duob;
§.ſi inchoanda.ff.ꝓ ſocio.⁊ ita etiam tenet Ja.de
are.in.l.j.C.ꝓ ſocio.glo.in.d.l.ſi patruus tenet cõ
trariũ ſed tu tene qđ dixi.ſocietas.j.§.x.
¶Utrum lucrum vxoris alterius fratris ſit cõicã 30
dum? R.Bal.in.l.ſi vxorẽ.C.de condi.inſer.⁊.d.
Ubal.de ꝑuſio.in.l.cuz duobus.ff.ꝓ ſocio.ꝙ aut
mulier eadem opa facit ſicut hoĩes in laborando.⁊
ſic ipſa debet habere ptem lucri ⁊ diuidet̃ in capita
vt s.dictum eſt de filijs.Aut vxor exercet aliquam
artem vel mercantiam vel eſt obſtetrix vel cirogi
cha.⁊ tunc ſi ponebat omnia lucra in cõi.⁊ ſilr̃ viri
contracta eſt ſocietas.q: mulier cum viro põt con
trahere ſocietatem.ſm eundem Bal.in.d.l.ſi vxo
rem.⁊ ſic lucra erunt cõia.Aut vxor tenebat ſepa
ratum lucrum.vel ex alijs coniecturis patet ꝙ no
lebat contrahere ſocietatem.tunc de operib; com
munibus ⁊ obſequialib; que fiunt a mulieribus in
domo ſm qualitatem pſone.vt facere lectũ.cochi
nam.⁊ hmõi.nõ poteſt lucrum conſequi: q: tenet̃
operari in domo in qua recipit alimenta vt in glo.
l.ſicut.ff.de oper.liber.⁊ Bald.in.l.gaio ſeio.in fi.
ff.de ali.lega.⁊ Ange.in.l.j.C.de legi.here.⁊ in.l.ſi
cum dotem.ff.ſolu.matri.immo ſi deſiſteret a tali
bus obſequialib; operibus ⁊ parue extimationis
ꝓpter faciendã artem pars lucri talis artis deberet
cõicari cum viro ⁊ alijs fratribus ſm iudicium bo
ni viri.Quod limita verum niſi haberet alimenta
iure legati:q: tunc nõ tenet̃ opari in domo dantiũ
talia alimenta.ſm Bal.⁊ Ange.vbi s.Si aũt vl
tra talia obſequialia exercet aliquam artem ⁊ in ip
ſis lucrat̃ poteſt ſibi retinere tanq̃ ꝓpriũ ⁊ nõ co
gitur cõicare.Quod no.ꝓ intelligẽtia eorum que
dico.j̃.vxor.§.ij.Et qđ dixi de vxore idẽ dic de fili
abus alterius fratris:excepto ꝙ acquirent patri.⁊
ſolum illud lucrũ erit eis aduenticium.
¶Utrum fratres qui ſunt ſocij oĩm bonorum ſi 31
vnus eorum habet filias poſſit eas dotare de cõi?
R.Spe.tenet ꝙ nõ.niſi ſit pactum inter eos ꝑ.l.ſi
ſocius ꝓ filia.ff.ꝓ ſocio.Idem tenet Pe.de peru
ſio in.xiiij.li.conſiliorũ ſuorum.Contrarium tenet
Bal.in conſilio qđ incipit factum tale.do.Ubal.
in.d.l.cum duobus arguens ꝓ ⁊ contra finaliter
dicit ꝙ quilibet poteſt adherere cui parti voluerit.

Sed iudicio meo pma opi. videtur verioꝛ qñ nõ ſunt ſocij omniũ bonoꝝ:ſed qñ ſunt ſocij oĩm bonoꝝ vera eſt ſcđa opi. ⁊ ſm hoc cõcoꝛda. p̄dictos. vt s̃.xxvij.§.

32 ¶ Quid ſi vnus fratrũ dotauit filias alterius fratris ſcientis ⁊ patiẽtis: R. ꝙ poterit repetere dotes q꞉ vtiliter geſſit negociũ. Nec obſtat ꝙ extraneus dotando filiã alterius videt̃ donare dando dotem.l.ex moꝛte.C.de pac.cõuen.quia hoc verũ qñ ſolus hoc facit. Secus ſi cũ patre ſimul faceret. et ita conſuluit Bal.in dicto cõſilio.vbi s̃.hoc intellige qñ nõ eſt cõtracta ſocietas omniuꝫ bonoꝝ. vt s̃.patet.

33 ¶ Vtrũ cũ fratres ſtant ſimul poſt moꝛtẽ patris et vnus de fructibꝫ laboꝝ ſuoꝝ.vel de alijs bonis poſuit in domo pꝛo cõmuni victu poſſit repetere illud plus in diuiſione: R.do.Vbal.vbi s̃.ꝙ illi q̃ extant ſunt ſui niſi contracta ſit ſocietas in illis. Si autẽ ſunt cõſumpti tũc ſi inter eos erat cõtracta ſocietas cõuiuendi q꞉ viuebãt ad vnũ panẽ et vinũ tũc nõ habet̃ cõſideratio ad illud plus.quia ſocietas iure cõſumpti intelligunt̃.vt eſt caſus in c.ſi duo fratres de fratribꝫ de nouo bene. inueſti. in vſibus feu.⁊ hoc non rõne fraternitatis vel cohabitationis ſed cõis menſe ſm Bal.in.c.ſi duo. qđ no.quia q̃tidiana in fratribꝫ quoꝝ vnus habꝫ maioꝛẽ familiã altero. Si vͦo ſocietas cõuiuẽdi nõ erat inter eos.puta q꞉ vnus minoꝛ int̃ quos non cõtrahit̃.l.in cõditionibꝫ.§.fi.ff.ꝓ ſocio.vel alter furioſus vel ꝓdigus cui erat interdicta admĩſtratio vel monachus ⁊ ſimiles.⁊ tũc expenſe nõ imputant̃ inter fratres q̃ ſunt facte ꝓ alimentis niſi ꝓteſtetur ꝙ nõ intendit donare.l.neſenius.ff.de neg.geſt.vel niſi q꞉ redditus cões erant ſufficientes ad alimẽta ꝫ cõſeruabat frumentũ vt melius venderet.vel quia naturali charitate nõ tenebat̃ alimentare.ar.l.ſi.ff.de pe.here.ſm Bal.in.l.filie cuius.C.fami.her. Itẽ qñ ille qui fecit impenſas erat pauperioꝛ.vt no.in.l.alimẽta.C.de neg.geſt. ꝑ Iaco.butri.et Bal.q꞉ pma charitas incipit a ſe ipſo.l.p̄ſens.C.de ſerui.⁊ aqua.Et ſic Bal.in.l.ſi paterno.C.de nego.geſt.tenet de ruſticis quoꝛuꝫ vnus multa poſuit in domo ꝓ alimẽtis ꝙ poteſt petere qñ in filijs alimẽtatis nõ erant ope aliq̃les coꝛreſpondentes alimẽtis.quia cõiter ruſtici ſunt paupes quoꝝ oculus ẽ poꝛcellus.vt dicit glo.in.l. illicitas.ff.de offi.p̄ſi.⁊ raro habẽt pecunias.vt dicit Bal.in.l.idẽ.C.locati.Ideo nõ p̄ſumit̃ donare cũ ipſe nõ habeat ſupflua qđ no.

34 ¶ Vtrũ cũ vnus fratrũ ponit lucra ſua ꝓ reparatione cõmunis patrimonij.vel emit boues ꝓ colendis poſſeſſionibꝫ cõmunibꝫ poſſit illud repetere: R.d.Vbal.vbi ſupꝛa.ꝙ ſic expꝛeſſe per tex.in l.ex duobus.ff.de negoci.geſt.⁊ Bal.in.l.filie.C. fami.herci.

35 ¶ Sunt duo fratres vnus legitim⁹ alius ſpurius qui ſocietatẽ cõtrahunt omniũ bonoꝝ in vita patris ipſoꝝ:querit̃ an moꝛiente patre eius hereditas tranſeat etiã ad ſpuriũ: R. Bal.in.l.j.C.ꝓ ſocio.ꝙ ſic nõ vi ſucceſſionis vel relicti ꝫ iure ſocietatis.qđ no.ꝓ cautela.tu q̃ vis ſpuriũ ſuccedere in hereditate cũ legitimo vt facias eos cõtrahere ſocietatẽ inſimul omniũ bonoꝝ.

1 PEcunia aliqñ capit̃ largiſſime ꝓ omni re mundi.j.q.iij. totũ.et in.l.nominis.ff.de ver.ſi.dicit̃ nominis pecunie appellatione rẽ ſignificare ꝓculus ait.vbi glo.rẽ.ſ.omnẽ que ſit vel eẽ poſſit in patrimonio.⁊ ſic rei appellatio latioꝛ ẽ q̃ pecunie.vt in.l.rei.ff.eo.q꞉ res ſacre ⁊ liber hõ qui nõ pñt eſſe in patrimonio ſunt res ⁊ non pecunia Sed ſtricte ⁊ ꝓprie pecunia accipit̃ ꝓ pecunia numerata.xiiij.q.iij.c.j.ij.et.iij.et.ff.de le.j.l.talis ſcriptura.in pn.Secundũ etiaꝫ q̃tuoꝛ magiſtros expoſitoꝛes regule beati Franciſci pecunia accipitur ꝓ omni re q̃ quis vtit̃ ad aliq̃d ꝓ p̄cio dandũ.vñ dicunt ꝙ non licet fratribꝫ minoꝛibꝫ aliq̃ recipe q̃bus vtant̃ ꝓ p̄cio ad aliq̃ emenda.

¶ Sed pone ꝙ aliq̃s vult dare fratri minoꝛi aliquã rẽ qua frat nõ indiget nunq̃d poterit eã recipere vt vendat ⁊ de p̄cio aliã neceſſariã emat: R. ꝙ nõ.q꞉ ſic eſſet recipere pecuniã ꝫ bene põt eã recipere animo nũq̃ eã diſtrahẽdi ipſe ꝫ ꝓcuratoꝛi oꝛdinis aſſignãdi vt ipſe eã vendat vel in neceſſariam cõmutet.q꞉ ſic nunq̃ eſt pecunia que ꝓhibetur in regula recipi q̃diu eſt in manu ei⁹.ꝫ poſtq̃ eſt aſſignata procuratoꝛi.Car.vͦo in cle.exiuit.§. poꝛro.de verbo.ſig.dicit ꝙ hodie denarius et pecunia ꝓ eodẽ accipiũt̃ ⁊ ſic exponit verbũ vel ꝑ.i. in p̄dicta regula minoꝝ.vt ſit ſenſus nõ recipiant denarios.vel.i.pecuniã ꝓhibendo cuiuſcunq̃ generis monetaꝫ.ſed magis placet opinio quatuoꝛ magiſtroꝝ.

¶ Vtrũ mutuãs.x.in auro teneat̃ recipere in argento tñ ipſo inuito vel ĩ diuerſa foꝛma.puta florentinos ꝓ ſeneſibus mutuatis: R. Pa.in.c.qñto.de iureiur.colligẽdo mentẽ Bar.in.l.Paulus ff.de ſolu.Aut mutuauit.x.libꝛas in.iiij.floꝛenis ⁊ tũc ſufficit reſtituere.x.libꝛas etiã in alia moneta q꞉ videt̃ extimatos illos floꝛenos ꝓ decẽ libꝛis vẽdidiſſe ſicut dicim⁹ in dote cũ tradit̃ extimata.l.cũ dotẽ.C.de iure do.⁊ idẽ dic in depoſito.Aut fuit dictũ mutuo vel depono decẽ libꝛas in floꝛenis et piculũ et comodũ ptinet ad debitoꝛẽ ſeu depoſitarium.vñ tenet̃ reſtituere ſm extimationẽ exiſtentem tpe ſolutionis fiende.ar.d.l.cũ dotẽ.Aut fuit ſimpliciter factũ mutuũ.puta mutuo tibi centum floꝛenos ⁊ tũc ſi eſt paſſurus aliqđ damnũ recipiendo in alia foꝛma non tenet̃ recipe.d.l.Paulus. Si vͦo nullum damnũ eſt paſſurus ſic tenet̃ vt in d.l.Paulus.Sed in alia materia nõ tenet̃ recipere.quia mutuũ debet reſtitui in eodẽ genere ⁊ eadem bonitate.vt in.l.cuꝫ quid.ff.ſi cer.pe.⁊ aliud pꝛo alio inuito creditoꝛe ſolui non poteſt.l.ij.ff.ſi cer.pe.Conſuetudo tamen eſt vt ſoluatur in alia materia et ſeruanda eſt.quia videtur actum quod eſt conſuetũ.l.ꝙ ſi nolit.§.qui aſſidua.ff.de edili. edic.et conſuluit Oldradus.In depoſito autem conſidera ſi fuit actum vt pecuniam confunderet cum ſua.et idem dic ꝙ de mutuo:aut teneret ſeparatam ⁊ ſic eam reddet et non aliam in foꝛma aut materia. 2

Pedagium dicit a pedibꝰ datur
enī a tranſeuntibus
in locis conſtitutis a pncipe vel ab eo q̄
habet ſup hoc auctoritatē. Guidagiuz
vo dat ꝓ ducatu p terrā alicuius vt ſecurius va-
dat. Salinariū autē datur ꝓ ſale vt. ſ. poſſint eme
re vel vēdere. Hec habent in. c. ſup quibuſdā de
verbo. ſig. in glo. Unde pedagiū idē ſignificat ꝙ
vectigal. vt no. dn̄s Pe. de ancha. in. c. q̄ꝙ. de cen
ſi. li. vj. et ſoluit qn̄q ſolū ꝓ tranſitu pſone vt ferra
rie. Aliqn̄ ꝓ rebus quas quis defert nō vſus ſui
cauſa. Tributū eſt ꝙ pſtat fiſco. ⁊ idē eſt ꝙ cenſus
vel penſio.

1 ¶ Quis pōt imponere pedagia: guidagia: ⁊ ſali-
naria. R. ꝙ pnceps vel rex: aut ille cui a laterāēſi
concilio fuit cōceſſum: vel q̄ ex longa cōſuetudine
de q̄ nō extat memoria in contrariū hoc habet. vt
no. in. d. c. ſup q̄buſdā. al's nō habentes auctorita
tem ab aliquo pfatoruz exigentes ſunt excōicandi
de cenſi. innouamus. ⁊ de iure ciuili ſunt ppetuo
exilio dānādi. C. noua vectiga. inſti. nō po. l. vlti.
Sed hodie exquo ciuitates italie habent merū et
mixtū imperiū obtinuerūt de facto vt imponere
poſſint iſta pedagia. vt nota. Jo. an. ⁊ Pa. in. d. c.
ſup quibuſdā. Alij autē qui de facto imponūt ſeu
impoſita exigunt: niſi habeant auctoritatē ab aliq̄
pdictoꝝ rapinā cōmittūt. Silr nō ſufficit ꝙ vna
ps citat' pſentiat. ſ3 oꝫ ꝙ maior ps pſerti eoꝝ q̄bꝰ
tāgit ſm do. Gaſpar. Calde. in. c. ſi. de ma. ⁊ obe.
facit. l. in ꝯcedēdo. ff. de aq̄ ⁊ plu. ar. Regula. Qđ
oēs tangit. li. vj. ⁊ ſic patet q̄ eſt cauſa efficiens.

2 ¶ Utrū pfata pedagia poſſint imponi ab haben
tibus poteſtatē ſine iuſta cā que pōt dici cā finalis
ſeu formalis. R. ſm Ray. ꝙ nō. ⁊ exigens cōmit-
tit rapinā ſi ſine legitima cā imponit. Et cauſa le-
gitima ⁊ iuſta ſunt publice neceſſitates: q̄s Bar.
in. l. vniuerſi. C. de vecti. appellat ſtipendia. pon-
tes publice. domꝰ. defenſio ſtrate: ⁊ hmōi. facit. c.
ſi q̄s rompetas. xxiiij. q. iij. iūcto. c. innouamꝰ. de
treu. ⁊ pa. ⁊ in. c. puenit. ⁊. c. cuz apl's. de cenſi. et. l.
vectigalia. ff. de publi. ⁊ ibi p doc.

3 ¶ De q̄bus debēt ſolui pedagia. R. ꝙ ſolūmodo
de his q̄ cauſa negociationis vel mercimonij defe
runtur. C. de vecti. l. omniuz. vnde de his q̄ quis
facit portare ꝓ neceſſitate ad vſum ſue vite ⁊ fami
lie nō pōt exigi pedagiū. ⁊ nec valet cōſuetudo in
contrariū ſm Ho. Ber. in. d. c. ſup q̄buſdā. imo
vult lex vniuerſi. C. de vecti. ꝙ decapitetur qui de
rebꝰ ad ꝓpriū vſum vel grā ruris colendi. vel ad ſe
defendendū emptis vel delat' exigit pedagiū. vn̄
in his fraudātes nō peccāt. Sꝫ attēde ꝙ aliqn̄ pe-
dagium dicit etiā collecta q̄ poſſet imponi ſup hu
iuſmodi in ſuos ſubditos ⁊ ſic nō liceret fraudare
qn̄ ex legitima cā imponit: ſ3 forenſes nō tenerent
⁊ hoc dicit cā materialis.

4 ¶ A quibꝰ poſſunt exigi pedagia. R. ꝙ ab omni-
bus exceptis clericis eccleſijs ⁊ alijs eccleſiaſticis p
ſonis ⁊ ſi quis a talibꝰ exigit p ſe vel p interpoſitaz
pſonā ſi eſt pſona ſingularis excōicatus eſt ipſo fa
cto. Si collegiū vel vniuerſitas ciuitatis. caſtri vel
ville ſubijcit interdicto donec reſtituerint extorta

Intellige dūmodo pfati nō cā negociationis defe
rant. hec habent in. c. q̄ꝙ. de cenſi. lib. vj. Et qn̄o
indirecte pn̄t exigi. vide ſ. immunitas. ſ. xxxviij.
cū. iiij. ſ. ſe.

¶ Sed quid de imponentibꝰ noua pedagia ſine 5
auctoritate legitima: vel augmentantes antiq̄. vel
exigentes iniuſta: ſiue ex cauſa efficiēti ſiue ex cau-
ſa finali vel materiali. R. ꝙ raptores ſunt ⁊ tenen
tur ad reſtitutionē eis a quibꝰ extorſerūt vel eoruz
heredibꝰ ſi ſciunt eos vel ſaltem pauperibus ſi eos
ignorant. ⁊ hoc de neceſſitate pcepti. c. ſi res. xiiij.
q. vj. et hodie per ꝓceſſum curie ſunt excōmuni-
cati excōmunicatione papali. vt ſ. Excōmunica-
tio. v. caſu. xx.

¶ Utrū fraudātes pedagia vel guidagia peccent 6
⁊ teneant ad reſtōnē. R. ſm cōiter docto. in. d. c.
innouamus. ⁊ maxime Pa. ꝙ ſic. ſi ſunt legitima
auctoritate impoſita vel ita antiq̄ ꝙ de eius initio
nō extat memoria. etiā ſm Ho. ſi cauſa nō eſt ex-
preſſa a pncipe cū ea cōceſſit imponi poſſe. Et etiā
ſi ille q̄ recipit nō facit id ꝓ quo pſumit ꝙ ſint con
ceſſa. dūmodo nō conſtet ꝙ ꝓpter illud fuerint im
poſita. ⁊ ſic trāſeunt cōiter docto. Sed ego dico ꝙ
vbi imponētes talia pedagia non laborant loco ⁊
tempore ꝓ vniuerſali vtilitate. ſ. viarū pontiū ſal-
uatione pſonarū et reruz iuxta ſuū poſſe ad qđ te-
nentur ſm Archid. in. c. ſi quis rompetas. xxiiij.
q. iij. nō peccant q̄ ea defraudāt: ſine mendacio ta
men ⁊ piurio: nec tenēt ad reſtitutionē. Nec etiaz
credo peccent mortalit frandātes q̄uis pdicti la-
borent in pdictis ꝓ loco ⁊ tpe. Ratio q̄a cōiter ſic
inſtituunt. ſ. ſtatuūꝰ ꝙ q̄libet ſoluat ⁊c. ſub pena
cadendi in cōmiſſum ſi aliter inuentus fuerit. Et
ideo iſtud ſtatutū nō obligat ad mortale. vt ſ. dixi
inobediētia. ſ. j. nec etiā ad penā vt tenet glo. in. c.
fraternitas. xij. q. ij. niſi poſt condēnationē. ſi obij-
cias ꝙ dānificant gabellas emētes ad hoc. R. ꝙ
ſuū damnū: q2 ita ⁊ ſub iſta conditione emunt vt
vigilent al's ſibi imputet. Si vo ſtatutū exquo im
ponuntur eſſet pceptiuū ſic haberet locū qđ com-
muniter tenēt doc. Si aūt nō ſunt legitima aucto-
ritate impoſita: tūc extranei. ſ. q̄ nō ſunt ſubditi ta
libus imponentibꝰ nō peccant: nec in aliquo obli-
gātur. Aduerte tn̄ q2 pedagia nr̄i tpis ſunt cōiter
illicita. Unde niſi ꝓbent legitime ipoſita debemꝰ
pſumere iniuſta. c. q̄ꝙ. de cenſi. lib. vj. ergo anteq̄
ꝓbent eſſe legitima ſtabo in pſumptione iuris. ſ.
ꝙ ſint iniuſta ⁊ ſic nō tenear ſoluere. Et ſic nota ꝙ
noua pedagia ſiue augmētationes factas nullus
pōt exigere: niſi ſit certus: ꝙ ſint impoſita ⁊ ab ha-
bente auctoritatē imponendi ⁊ ex legitima cā exq̄
ius pſumit oia fore iniuſta. Verū ē ꝙ ſubditus q̄
cogeret ad ipſa exigenda excuſaret in dubio ꝓpter
bonū obediētie: ſ3 nō illi q̄ voluntarie ea exigunt.
Nec excuſarē eos a mortali peccato qn̄ de hoc ad
uerterent ſi ea voluntarie exigerēt. Al's hoc nō ad
uertendo. ſ. ꝙ ius pſumat iniuſta niſi q̄tenus pro-
bentur legitima nō peccat mortaliter. ſ3 ad minꝰ te
nebunt ad reſtōnē exactoꝝ ſi poſtea inuenientur
nō fuiſſe legitima. Subditi vo obligāt ſm formā
ſtatuti q2 in eoꝝ piudiciū bene poterunt pedagia

ſimponere. vt no. Pa. in. d. c. innouam⁹. quia po-
tius tunc dr̄ collecta ꝙ̄ pedagiuz. Qd̄ limita verū
qn̄ ꝓpter bonum reipublice fuerūt impoſita aliter
nō obligant̄ niſi q̄ cōſenſerūt vt in regula qd̄ oīs
tangit. li. vj. Itē nec extranei nec ſubditi obligant̄
qn̄ ſuppoſita ex certa cā. ⁊ cōſtat etiā ab habēte po
teſtatē imponēdi. ⁊ ille q̄ exigit ſeu exigere facit nō
implet cām ꝓpter quā ſunt impoſita immo peccat
mortalit̄ ⁊ reſtituere tenet̄. q: cauſa ceſſante ceſſat
effectus. de appel. c. cū ceſſante. ſane intelligēdo. ſ.
loco et tpe debito. quia nō ſemp ſꝫ ꝓ ſemp illud te
netur facere. ꝓ quo eſt pedagiuz impoſitū. Et hec
oīa intellige: niſi in nō ſoluēdo talia pedagia imi-
neret aliqd̄ ſcandalū. q: tūc indiſtincte teneret̄ qli
bet ad ea ſoluēda. Conſulo ergo confeſſoribꝫ ꝙ vi
deant decreta dictoꝝ pedagioꝝ vt poſſint bonuz
iudiciū dare. vtrū ſint obligatoria ad culpā vel ne.
Itē dic ꝙ nimis grauati alijs impoſitionibus vel
qn̄ gabelle ſunt nimis graues ⁊ ſine neceſſitate nec
ad vtilitatē cōis pn̄t fraudare ſine pctō. ſimilit̄ qn̄
imponēs nō hꝫ iuſtū titulū dominij.

7 ¶ Vtꝝ xp̄iani teneant̄ ſoluere pedagia ſaracenis
et alijs infidelibꝫ: R. ſm Ho. ꝙ nō tenent̄ niſi ſo-
lum ad hoc vt ſuſtineant̄ in trāſitu ꝑ eos. ⁊ placet
mihi iſta opi. lꝫ alij ꝯ̄rū teneant ⁊ male. tn̄ q: xp̄ia-
ni nō tenent̄ ad eoꝝ ſtatuta. Limito tn̄ niſi exp̄ſſe
ex pacto voluntarie cōueniſſent cū eis ad ſoluēdū
Nā tūc ſi ipſi ſeruāt fidē xp̄ianis xp̄iani tenet̄ eis
ſeruare. xxij. q. iiij. innocēs. ⁊ xxiij. q. j. noli. his cō-
coꝛ. Archi. in. d. c. ſi q̄s rompetas.

8 ¶ Vtrū exigentes pedagia ſeu exigere faciētes te
neant̄ itinera tenere ſecura: R. Bal. in li. de ꝯſue.
feu. in ti. de his q̄ feu da. poſſunt. in. §. abbatiſſa. ⁊
in ti. de pace iura. fir. §. cōuenticulis. ꝙ ſic. Unde
addit ꝙ ſi fiunt alique robarie in eoꝝ curia: terri-
toꝛio vel diſtrictu ab eis poſſeſſo vbi exigūt peda-
gia a tranſeuntibꝫ tenent̄ aut roboꝛiam reſtituere
aut malefactoꝛem exhibere. l. ne q̄d. ff. de incē. rui.
nau. Et ꝙ teneant̄ ad reſtōnem integrā de ſpolia
tione intelligo verū. qn̄ ex defectu eoꝝ venit nō fa
ciendo qd̄ facere tenent̄. xxiij. q. ij. dn̄s. et. q. v. ad-
miniſtratoꝛes. et. C. de appel. l. ſi appellationē. et
ſequitur Hoſtiē. et Archi. in. d. c. ſi quis rompe-
tas. nō tamen tenet̄ exactuz in pedagio reſtituere
ſm Hoſti.

Pena ſtricte et ꝓpꝛie eſt duntaxat illa
que ē corpoꝛis afflictiua. et ideo
appellatione pene nō venit pena pecu-
niaria vel extra corpus ſm Pa. in. c. int̄
alia. de imu. ec. ⁊ ibi eſt tex. vbi dr̄ cōfugiens ad ec
cleſiam nō debet cōdēnari ad penā. ⁊ tn̄ poſtea di-
cit ꝙ legitime puniēdus vbi eſt glo. puniēdus. ſ.
pecunialiter dūtaxat vel alia pena p̄ter corpoꝛalez
xvij. q. iiij. reū. et. c. id cōſtituimus. Sed large acci
pitur ꝓ omni eo qd̄ minuit de patrimonio vel pri
uat ab aliquo legitimo. Ge. tn̄ in. c. fi. de elec. li. vj.
dicit ꝙ cōſtitutio ꝓpꝛie eſt penalis q̄ ꝓuat iure q̄ſi-
to. vt in. c. ſi religioſus. eo. ti. et li. ⁊ ita pena eſt que
punit ⁊ vindicat qd̄ quiſqꝫ cōmiſit. vt in. ca. pn̄ia.
de pe. di. iij. vide glo. in. c. diſpendia. de reſcrip. eo.
li. Et ideo illa lex eſt penalis ꝓpꝛie que ꝓ vindicta
ledit vel in perſona vel in alio queſito. vt in. d. c.
diſpendia.

¶ Vtrū cū quis petit intereſſe qd̄ paſſus eſt. vel 1
ꝙ reſtituat̄ iniuſte ablatū penā petat: R. ꝙ ſi ille
a quo petit eā habuit rē quā petit. tunc nō eſt pe-
na: nec ex parte actoꝛis: nec ex parte rei. Sed ſi eaz
nō habuit puta quia petit̄ intereſſe tūc ex p̄te rei
eſt pena ſꝫ nō ex parte actoꝛis. Si vō peteretur ꝙ
actoꝛi nō abeſt nec reo aduenit ſic eſt pena ex p̄te
vtriuſqꝫ. Et ideo ſoluz qn̄ eſt pena ex p̄te vtriuſqꝫ
vel ſaltē ex parte actoꝛis habet locū illud qd̄ dicit̄.
ꝙ pena nō eſt ſoluenda in foꝛo anime niſi poſt cō-
demnationē in glo. xij. q. ij. fraternitas. qd̄ no. q̄a
facit ad multa elicitur a Panoꝛ. in. c. finem. de do.
et contu.

¶ Quotuplex eſt pena: R. vj. Prima dicit̄ cano- 2
nica vel legalis que imponit̄ a iure canonico vel a
legibꝫ. de q̄ in. c. ſtatuim⁹ xvj. q. j. Et hec pōt exigi
tā a clericis ꝙ̄ a laicis ſm Pa. in. c. dilecti. de arbi.
facit. c. ſi q̄s cōtumax. ⁊. c. ſeq. xvij. q. iiij. Nā quod
fit lege ꝑmittēte nō ē peccatū. xxiij. q. iiij. q̄ peccat.
l. graccus. C. de adul.

¶ Sed q̄d ſi non petat̄ tenet̄ ne in foꝛo anime illā 3
ſoluere. Reſpō. ꝙ aut imponit̄ ipſo facto ⁊ ſic ſm
Bal. in li. de vſi. feu. in ti. de feudis. ꝙ lꝫ nō ſit ne-
ceſſaria ſn̄ia ad eſſe. eſt tn̄ neceſſaria ad executōnē
eſſe. et ſequit̄ Archi. in. c. felicis. de penis. li. vj. di-
cit ꝙ licet etiā talia bona tranſeant in dominium
fiſci et deſinant eſſe criminoſi. ſicut in bonis here-
tici. et illius q̄ cōmiſit crimen leſe maieſtatis etiaz
ſine ſn̄ia. Tn̄ neceſſaria eſt poſtmodū ſn̄ia que de
claret eū criminoſum anteq̄ excuſſio fiat bonoꝝ
vel alia executio. facit aut̄. de inceſtis nu. §. j. et in
c. qui ſm leges. in fi. de here. lib. vj. facit qd̄ notat
Bal. in. l. iubem⁹. §. iconom⁹. C. de ſac. ſan. eccle.
⁊ Bar. in. l. diuus. la ſecunda. ff. de cuſto. ⁊ exhi.
reo. et Butri. in. l. raptoꝛes. C. de epi. ⁊ cle. vbi vo
lunt ꝙ requirit̄ ꝓceſſus declaratoꝛius ꝑſone ban-
nite anteq̄ deueniat̄ ad excuſſionē bonoꝝ. lꝫ ipſo
iure ſint cōfiſcata. Itē glo. in aut̄. de tabe. §. penul
timo. q̄ vult ꝙ licet tabellio a iure ſit priuatus offi-
cio. tn̄ ſine ſn̄ia hoīs valent inſtra. Et hoc ſequit̄
Pa. in. c. cū non ab homine. de iudi. Sed limitat
verū. niſi factū eſſet notoꝛiū. quia in certis non eſt
opus cōiecturis. Intelligo ita notoꝛium ꝙ nulla
poſſit tergiuerſatione celari. Et ex hoc pꝫ ꝙ in fo-
ro anime non tenet̄ eā ſoluere ante ſententiā. nec
etiā licet ſit notoꝛiū anteq̄ fiāt excuſſio dictoꝝ bo-
noꝝ. q: nō tenet̄ illa exhibere niſi ſibi p̄cipiat̄. vel
ab eo petant̄ cui cōpetunt. Nec quis poſſet ea au
ferre. niſi p̄cedat ſn̄ia declaratoꝛia. vt patet ꝑ ea q̄
dixi ſ. aſaſinus. §. vltimo. Sed hic aduerte ꝙ qn̄
talis pena applicat bona alicui⁹ alicui. puta fiſco
vel alteri ipſo iure. ꝙ licet talis ante ſententiā non
teneat̄ vt dixi dare. tamē nō poterit ea titulo one-
roſo in aliū trāſferre: neqꝫ fruct⁹ etiā talis rei. Rō
q: ſi condēnaret̄ ꝑ ſn̄iam fiſcus vel ille cui fuerant
applicata. vēdicaret ea a q̄cunqꝫ cū fructibꝫ mediȷ̄
tpis. nec teneret̄ reſtituere p̄ciū niſi aliq̄d loco p̄cij
inueniat̄ apud alienantē vel ipm̄ p̄ciū. vt in dicto
§. j. ⁊. c. cū ſm leges. facit. l. ſi cuz dotē. §. vlti. cum

⁊.ſe.ff.ſolu.matri.Et ideo ne ſit cauſa dāni illi⁹ cui
alienat nō poteſt ſm cōſcientiā ⁊ etiā ſine peccato
mortali. niſi alienaſſet ꝑ neceſſitate vite. vt ꝑ co-
medendo ⁊ hmōi. q: ſm Bar.in.l. poſt.ff.de do-
na.talis adminiſtratio bonoꝝ neceſſaria vt eſt ſu-
pradicta nō eſt ꝑfatis interdicta.ꝫ ſolum volunta
ria.allegat.l.res.ff.de ſolu.l. peto.§.ꝑdium.ff. de
lega.ij.et.l. alienationes.ff.fami.her. niſi al's eſſet
ſoluēdo ꝑ dāno dato: vel niſi ei reuelaret conditio
nē rei ita eſſe:ſi mō tale delictū ꝓpter qd ſua bona
ſunt fiſco applicata pōt aliquo mō probari. Sed ſi
eſſet totaliter improbabile poſſet alienare etiaꝫ ti.
oneroſo. Ti.auteꝫ lucratiuo alienare bene poſſet.
Et ſic intellige ⁊ limita Bal. vbi ſ. ⁊ in.d.§. Yco-
nomus. ⁊ Pa.in.d.c.cū nō ab homine.et Jo.an.
in.c.ꝓ humani.de homi.li.vj.in nouella. Si vo
pena nō imponit ipſo facto ꝫ venit imponēda ſic
ſimilit nō tenet ante condēnationē.l. eius q dela-
torem.in pn.ff.de iure fiſci. ⁊ ante cōdēnationē po
teſt diſponere quocunqꝫ vult.q: eius eſt res ſua.lꝫ
poſſit ea puari. Et no.ſm Bar.in.l.fi.ff.de penis
et.l.in honorarijs.ff.de ac. ⁊ obli.ꝙ hec pena in iu
dicio nō pōt exigi poſt ānū ꝫ ſolū infra ānū poſtꝙ
qs eaꝫ incurrit. Et hoc intellige qn̄ eſt mere pena
tā ex pte actoris ſeu cui applicat.ꝙ ex pte rei. ⁊ ſm
hec tene glo.in.d.c.fraternitas. ⁊ iſtud ſerua lꝫ ali-
qui aliter ſentiant ⁊ male.

4 ¶ Vtrū ad incurrendū penā que ipſo facto impo
nitur negatiue requirat monitio: R. Inno.in.c.
extirpande.de ꝑben.ꝙ nō incurrit ante monitio-
nem. Pa.ibidē tenet ꝙ nō requirit ꝫ ipſo facto in-
currit. Eſt glo.in.l.j.C.de his quib⁹ vt indi.ꝑ q
Bar.in.l.in conditione.ff.ad ſileia.cōcludit ꝙ pe
na appoſita nō vindicanti mortē defuncti ipſo fa-
cto incurrit quo facultatē habuit vindicandi ⁊ nō
vindicauit. Eſt etiaꝫ glo.in cle.j. de here. ⁊ bonus
tex.in.c.cupientes.poſt pncipiū.de elec.lib.vj. Sꝫ
tu cōcorda ꝙ opi. Inno.quā etiaꝫ tenet Jo.an.in
c.licet.de elec.li.vj. ⁊ multi alij.eſt vera qn̄ ius nō
ꝑfigit terminū. Opi. vo Pa. ⁊ Bar.intelligit vbi
ius ꝑfigit terminū.q: tūc termin⁹ interpellat ꝑ ho
